

Band VI., Nr. 1668, Seite 71

Papst Urban IV. bewilligt dem Propst Johann von Denkendorf auf dessen Bitte, dass er nur zur Bezahlung solcher von seinen Amtsvorgängern aufgenommenen Schulden angehalten werden könne, hinsichtlich deren die Gläubiger die Verwendung zum Nutzen seiner Kirche beweisen.

Viterbo, 1262. Juli 11.

Urbanvs quartus^a, episcopus, servus servorum dei, dilecto filio fratri Ioanni, canonico Sepulchri Dominici Ierosolimitani, preposito ecclesie Denckendorff, Constanciensis diocesis, ad ecclesiam Ierosolimitanam spectantis, salutem et apostolicam benedictionem. Religionis tue honestas [exigit], ut petitionibus tuis, quantum cum deo possumus, annuamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus benignum impertientes assensum, ut ad solutionem aliquorum debitorum a predecessoribus tuis con[t]ractorum minime tenearis, nisi creditores probaverint, ea in ecclesie tue utilitatem esse conversa, non obstantibus litteris seu instrumentis confectis contractus tempore, super hoc eciam si in ipsis litteris seu instrumentis contineatur expresse, quod creditores predicti ad probandum, ipsa in utilitatem ipsius ecclesie fore conversa, minime teneantur aut si predecessores ipsi in litteris eisdem seu instrumentis ea in eiusdem ecclesie utilitatem esse conversa confiteantur, tibi auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Viterbii, V. idus Iulii, pontificatus nostri anno primo.

Nach einem Kopialbuch des Klosters Denkendorf aus dem 16. Jahrhundert, S. 56, vgl. die Urkunde Nr. N21 (WUB, Bd. V, S. 408).

^aDieses Wort ist sicherlich nur durch den Abschreiber beigefügt worden.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

H 14 Nr. 48, S. 56

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Viterbo

Ortsindex:

Denkendorf Wohnplatz (319)

Denkendorf, ES

Konstanz Wohnplatz (14442)

Konstanz, KN

Viterbo, Latium, Italien